

DISSERTATIO

DE SEPTUAGINTA SEPTIMANIS DANIELIS.

Aliorum observatione scitum est, lata de Messia vaticinia eò apertiora esse, quò ad ejus tempora propius accedunt. Cujus rei documentum exhibet, si quid aliud, luculentissimum Liberatoris adventus ac Christi Domini interitus post evolutas 70. septimanas Danielis oraculo præ-nunciati. Apertam ad eò veritatem & argumenti exinde in rem nostram deducti pondus Judæi nunquam non sensisse visi, nullum non moverunt lapidem, ut molesta sibi veritati tenebras offunderent. Patres & Authores Ecclesiastici vicissim omnem posuerunt operam, quò fidem oraculi in Jesu Christo impletam demonstrarent; quibus etiam in hac Dissertatione nos adspulatores adjungimus. Est autem in ea re aliquid, de quo nemo in Ecclesia dissentiat, nimirum de Messia latum esse oraculum; sed ad eum scopum non omnes eadem viâ collimantes, varia invexerunt ex variis deducta supputationibus systemata.

Cùm itaque Daniel oraculum Jeremie de relevanda Jerosolyma post 70. annorum ruinam attentius legeret (a), Dominum supplex rogavit, ut ejus sibi occultus sensus panderetur. Angelus Gabriel virum conveniens ita affatus est [b]. *Septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur pravariatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte. Ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duas erunt, & rursum adificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipavit populus cum Duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem passum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis; & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio. Sciscitanti*

Prophetæ Angelus non directè quidem ad questionem respondit; sed interroganti de exitu 70. annorum captivitatis post 6. vel 7. annos mox solvendæ, Angelus ad occasionem aliud longè majoris momenti mysterium, post 70. septimanas referendum, pandit; interitum nempe Messie, ad quem oracula omnia & promissiones spectabant.

De hisce septimanis ex quo demum constarent, quòd habuerint exordium, quem exitum, diù multumque ambigitur. Origenes decem annos in singulos dies computans, septimanas singulas ex 70. annis conflavit, cui proinde tota 70. septimanarum periodus summam conficit 4900., annorum (c). Ex singulis Jubileis, nempe ex 49. sive 50. annis, vel 7. septimanis annorum singulas illas Rabbinii constituant (d); alii ex singulis sæculis, quibus 70. septimanæ reddunt 7000. annos. Sanior tamen & recepta apud Interpretes sententia dies pro annis deputat, ut 70. septimanæ summam conficiant 490. annorum. Hæc annos numerandi ratio peculiaris erat Hebræis, quibus annus Sabbaticus post singulas annorum septimanas recurrebat (e). Quòd autem Prophetam de septimanis annorum loquutum demonstrat, illud est, nimirum pro dimidio unius septimanæ tres annos & semis ab illo assignari. Legeſis cap. 9. 27. collatum cum cap. 12. 7. Stilo etiam Prophetarum dies pro anno deputantur [f]. Neque apud Prophanos ignota septimanas annorum supputandi ratio. Varro de se ipso loquutus (g), narrat ineunte duodecimâ septimanâ, nempe anno 84. voluminum 70. septimanas scripsisse, nempe 490. & Apollodorus [h] author est Cadmi ætate septimanas ex 8. annis constituisse.

Exordium harum hebdomadum facillè, uti quidem apparet, determinaretur, vel iis saltem, qui ejus periodi exitum cùm Baptismo sive exitu Christi componunt; nihil enim illis nisi retrograda supputatio conficienda esset. Sed eâ, in qua versamur, Chronologiæ nocte factum est, ut plurimum inter Commentatores in ea re ambigeretur. Ad exitum quòd spectat, alii in Macchabeis terminant, alii in natalitiis Messie; alii in everſione Templi per Romanos; alii in exitu Mundi.

Josephus & Porphyrius olim, referen-

c Origen. Tract. 29. in Matt. d Rabb. apud Lyran. in Dan. 9. & Galatin. 1. 4. c. 14. e Levit. 25. 8. Numerabis tibi septem hebdomadas annorum. f Vide Ezech. 4. 6. & Apocal. 12. 6. & 13. 5. g Varro apud A Gell. 1. 5. c. 10. Ex Varro-ne 1. 1. de Hebdomadibus. Tum ibi addit se quoque jam 12. annor. hebdomadas ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas Librorum conscripsisse. h Apollodor. Biblioth. 1. 3. c. 4. Vide Suidam in Cadmo & Clemens Alexan. 1. 1. Strom.

te S. Hieronymo Præf. l. 11. Com. in Isai. hanc de septimanis quæſtionem agitaverant; & si quis conjecturæ locus remaneat, exitum statuerant in persecutione Judaica per Antiochum Epiphanem; ad hanc enim Porphyrius ea omnia revocat, quæ in Libro Danielis leguntur (i); & Josephus Antiq. l. 10. c. ult. ad illam pariter refert desolationem Templi & intermissa triennio sacrificia; quæ omnia hujus Danielis prophetiæ veluti appendices haberi possunt (k). Eadem visa sunt Authori primi Macchabeorum 1. 17. eadem Sixtus Senensis sæculo 16. defendit; sicut & nostrâ ætate Eques Marshamus, Etkius; nec profus abudit P. Harduinus, quemadmodum infra fusius disputabimus. Prætereundum hic ducimus, Judam quandam, qui hoc argumentum sub Severo Imperatore agitavit (l); quid enim sentiret in ea re, incertum.

S. Hippolytus Martyr supputationem suam ducebat ab anno 50. ante solutam captivitatem, simul statuens post illam usque ad natalitia Jesu Christi 62. annorum intervallum; exitum verò postremæ hebdomadæ ante exitum Mundi rejiciendum putavit. Sed hujus sententiæ plura sunt incommoda. 1. Plus nimio contrahit tempus illud quòd à primo anno Cyri & solutâ captivitate ad usque natalitia Filii Dei interjacet. 2. Reliquum verò temporis, exitum vaticinii spectans, plus nimio contra mentem oraculi retrahit.

Julio Africano primus (m) hujus periodi annus componitur cum vigesimo Artaxerſis, à quo impetrata à Nehemia facultas tum Judæam repetendi, cùm mœnia Urbis faciendi [n]; exitus verò statuitur in obitu Christi, anno, ut ipse quidem autumat, 15. Tiberii. Censet autem annos, de quibus apud Prophetam, lunares fuisse; quòd item pluribus aliis Viris doctissimis visum (o); satisque constat, ejus systema præ Veteribus omnibus commodissimum esse; dignum proinde quòd, paucis immutatis, plures doctissimi nostræ ætatis Interpretes defendendum susceperint.

Ducit eam periodum S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. à primo anno Cyri Babylone regnantis, solutâ captivitate usque ad everſionem Templi per Titum. Laudat in eam rem Esdræ testimonium, facillè quarto Libro petitum, quamquam frustra in impressis locus quaeratur; insinuare autem in illo Esdras videtur futurum, ut Messias Jerosolymis pareat, post 62. & septem adhuc hebdomadas evolutas, quibus in Judæa à bellis vacatum; sed nihil in eo testimonio satis distinctum, nihilque coherens supputationibus optimorum Chronologorum, à Cyro usque ad postremam Templi everſionem, majorem multò, quam 490. annorum summam conficiuntium.

Origenes in ea re variat; namque Strom. l. 10. (p) ejus periodi exordium constituebat primo anno Darii Medii, quo oraculum Danielis latum est (*), & exitum componebant cum Jesu Christi natalibus. Sed tract. 29. in Matt. ab Adamo repetens Da-

nielis hebdomadas, per totum spatium 4900. annorum ad usque Christum, sive everſionem Jerusalem deducebat; quòd ab ipso assertum est, juxta investiam à se supputationem, hebdomadam in 70. annos deputantem. Frustra absurdam hanc opinionem refutantam susceperimus.

Imperitiam suam in rebus Chronologicis & in historia Perſarum prodidit in suo systemate Tertullianus in Opere adversus Judæos; periodum enim à Dario Medo (q) exorsus, ejus hebdomadam 62. & semis; nempe 20. 437. ad usque natalia Jesu Christi perducit; assignatis pro Regno Darii annis 19. Obiisse verò statuit Jesum Christum anno 15. Tiberii; atque inter Christi exordia & Urbis per Romanos everſionem constituit 53. annorum intervallum. Tot errores, quot verba in hac hypothesi; nihilque ex illa commodi, nisi quòd jugem Ecclesiæ traditionem demonstrat de septuaginta hebdomadis, ad Christi natalitia sive obitum deducendis, earumque exitu in everſione Templi Jerosolymitani statuendo.

Eusebius Cæsariensis l. 8. Demonstr. Evang. & apud Hieron. in Dan. 9. tres hypotheses adducit: 1. Exordium ejus periodi repetit ab anno primo Cyri; terminat autem hebdomadam 69. in Hircano Summo Sacerdote, quem postremum Unicum Domini sive postremum verum Sacerdotem Judæorum deputat. Reliquam hebdomadam, à prioribus longo spatio avulsam, ita distribuit: Jesus Christus in exordio illius Baptismate tinctus est, in medio ejus spatio cruciifixus; eaque exeunte fides Christiana ab Apostolis annunciata.

Altera hypothesi primam hebdomadam refert ad annum 6. Darii Hyſtaſpis, abſoluto Templo Jerosolymitano memorabilem; tum 69. hebdomadam componit cum obitu Hircani Summi Sacerdotis; & reliqua deinde omnia, quemadmodum in priori hypothesi, distribuit. Tandem in ultima hypothesi liberam cuique facultatem permittit, ut quemcumque demum annum caput hujus periodi statuat, sive nempe primum Cyri, vel sextum Darii Hyſtaſpis; exitum verò sive ineunte, sive abſoluto Hircani Sacerdotio. Septuagesimam verò hebdomadam ceteris diuturniorem 70. annorum spatio definit; ejus exordium in Baptismo Christi, exitus in Regno Trajani. Mirari subit, viro ad eò rerum scientiâ & Chronologiâ perito hæc in eo argumento excidisse, ut ejus hypotheses in tam multis peccarent. Monstruosum est planè illud de septuagesimâ septimanâ à ceteris avulsâ; nec sanè minus mirandum, quòd illius spatium longius quam ceterarum protrahatur.

S. Cyrillus Jerosolymitanus Cateches. 12. à Dario Medo, quem ipse per errorem cum Dario Hyſtaſpis confundit, hanc periodum repetens, exordium Regni ejusdem Principis consignat ad 66. Olympiadem. Ejus verò Regni octavo anno restituta Urbem Jerusalem censet; ac tandem natalitia Jesu Christi componit cum 186. Olympiade; totumque temporis à Dario

q Videtur cum Dario Notho confundisse; sed textus ad litteram loquitur de Dario, quo regnante oraculum editum; constat autem ad Regnum Darii Medii spectare. Dan. 9. 1.

i Porphyr. apud Hieron. Præf. expositionis in Dan. k Daniel. 9. 26. 27.

l Apud Hieron. de Script. Eccl.

m Jul. Afric. l. 5. Tempor. apud Hieron. in Dan. 9. n 2. Esd. 1. 1. & 2. 5. & seq.

o Peter. l. 2. in Dan. 3. part. Disput. de 70. Hebdomad.

p Apud Hieron. in Dan. 9. * Dan. 9. 1.

rio usque ad natalitia Jesu Christi intervallum 483. annis, nempe 69. septimanis annorum dimittitur. Nihil verò reliquum addit de septuagesima hebdomada, quæ potissimum ad propheticum oraculum majoris est momenti. Gemina ferè habet Sulpicius Severus Hist. Eccl. à quo pariter silentio præteritur septuagesima septimana; totamque demum periodum repetit ab anno 12. Darii Ochi (corrige Hyftaspis) usque ad everfionem Templi Jerosolymitani, quam in exitu 69. hebdomadæ collocat.

S. Joanni Chrystostomo Hom. 3. adversus Judæos, spatium est 483. annorum inter vigesimum Artaxerxis & everfionem Templi per Romanos, quos duos terminos oraculo Danielis constituit. Exactius aliquid habet Theodoretus in Dan. 9. cui 62. Septimanæ annorum lunarium usque ad obitum Summi Sacerdotis Hircani numerantur; hunc ille Sacerdotem non fecit ac Eusebius postremum legitimorum Sacerdotum Hebræorum deputat. Exinde ad usque prædicationem Christi spatium est Theodoro 7. septimanarum. Restat septuagesima quam mediam jam evolutam Jesus Christus obitu suo consecravit, Legisque Sacrificia ad meritam & vim impetrandi quod attinet, cessarunt; assignato reliquo ejusdem hebdomadæ spatio prædicationi Evangelii per Apostolos, & foedere innovato cum Judæis illis, qui Christo per eam occasionem sese adjunxerunt.

Quidam apud S. Augustinum [r] totum hoc vaticinium de Antichristo exponentes, periodi hujus exitum cum mundi universi excidio componunt. Quorum ille, sicut & S. Hieronymus, impudentiam vituperat, audentes de rebus loqui humanam scientiam excedentibus, quas non nisi divinitus factâ revelatione doceremur. Magis eligi causam ignorantiæ confiteri, ait S. Augustinus, quam falsam scientiam profiteri.

Veteres Judæi, auctore S. Hieronymo (*), à Dario Medo, unde repetunt septuaginta hebdomadas, usque ad everfionem Urbis per Titum, assignant 62. septimanarum intervallum. Octo reliquis excipit universæ gentis excidium sub Adriano. Nec illi quidem negare audent Messiam, quamquam alium illum à Christo, Danielis oraculo spectari. Plus aliquid quam è re sua falsos illos arbitrati Judæi recentiores, tenebras huic veritati offundere conantur. Sunt ex illis, qui tempus nati Messie jam inde evolutum affirmant; sed ne veniret, crimina obstitisse. Alii diris devovent quicumque tempora supputarint, veriti, ne id studii plus aliquid lucis, quam è re illorum, veritatis amatoribus contulerit. Hillel transisse quidem præscriptum à Prophetis adventus Messie tempus fatetur; frustra proinde venturum Messiam expectari; venisse enim jam inde sub Ezechia, quo tempore Prophetarum oracula omnia impleta sunt.

Sed doctissimis Judæorum contrahere visum est tempus inter Cyrum & everfionem Templi interjectum; quare totam Monarchiæ Perfarum à Cyro periodum intra 52. annos definites (†), quatuor in illa Re-

ges pro decem constituunt. Qua semel in vesta Chronologiâ, frustra quis à Cyro ad usque Jesu Christi obitum 486. annos numeraverit. Ducunt autem septuaginta septimanas à prima Templi everfione per Nabuchodonosorem; ex quo ad everfionem usque Templi per Titum spatium deputant 490. annorum. Geminos autem Uñctos agnoscunt, Cyrum, in septima hebdomada; Agrippam II. post novissimam Urbis obsidionem Romæ occisum. Exceptit hæc omnia, inquit, everfio Urbis per Duem; nempe Titum; quæ Urbis desolatio ad usque bellum Gog, & Magog, deinde à Messia exterminandorum, durabit. Ita planè philosophantur cum RR. in gentibus sua clarissimis Jarchi & Abrabanel.

Tales adversarios, quibus summa omnia, imperitia nempe, & pervicacia, frustra quis adductis argumentis refutaverit. Judæi enim nec prophanos Auctores legunt, nec veram Chronologiam à limine quidem salutarunt. Auctores magni & parvi Chronici Judæorum recentiores sunt, quàm ut aliquid in eam rem conferant; ille enim sæculo 12. hic sexto scripsisse creditur (s). Porro gemini illi Messie ab Hebræis inducti, nec menti nec verbis Danielis satis respondent. Quæ de occisione Junioris Agrippæ per Vespasianum post novissimam Urbis Metropolis obsidionem narrantur, commenta sunt Judæorum; namque satis quietam Romæ vitam duxisse Principem illum anno 14. Domitiani, ex tummorum fide intelligimus. Sed ille curarum ætus, quo Rabbinii jactantur, veritatis hujus oraculi indicium est, si quod aliud, apertissimum; venisse enim iam inde à pluribus sæculis Messiam non evidentiore argumento docemur, quàm quod Rabbinii offundendis huic veritati tenebris nihil relinquunt intentatum. Dionysius Carthusianus epistolam Rabbinii cujusdam ad fratrem quemdam suum refert, in quam suspicionis aliquid apud me creat, major, quàm pro Judæo sinceritas. En integram (t).

Amplius videtur etiam, Domine mi, Danielis prophetiam, quæ scribitur 9. capite, completam esse, ubi sic dicit; Postquam consummata &c. Et non est, Domine mi, dubium, quin destructio perpetuæ desolationis, sit ista captivitas, in qua jam sumus. Nam jam sunt mille anni, & aperte dicit Dominus per Prophetam, quod erit desolatio perpetua, propter occisionem Christi; & sicut est desolatio nostra post occisionem Christi. Non comminatus est desolationem perpetuam, nisi post occisionem Christi. Et si voverimus dicere, quod ante occisionem Christi fuerimus in desolatione, respondent nobis Christiani, quod antea illam mortem non fuit desolatio nisi septuaginta annis; & post hoc fuimus reducti in terram promissionis, & fuimus apud Deum in gratia & honore. Certè, Domine mi, non vidi evasionem contra populum, qui de facto probat nobis, quod post quàm reedificatione Templi fuere completæ septuaginta hebdomadæ, (supple an-

s Basnage Hist. Jud. t. 4. l. 6. c. 22. art. 18.

t Epist. Rab. Samuel. ad Rabb. Isaac.

horum) quæ sunt anni abbreviati, tunc fuit Jesus occisus à patribus nostris, & postea venit Dux, scilicet Titus, & populus, scilicet Romani, & fecerunt nobis secundum prophetiam istam. Hodie sunt mille anni, & sic in ira Dei sumus, & tamen in ipso speramus. Et si dicitur, quod Christus nondum venit, sed citò sit venturus, & habebimus terram promissionis, & reedificabimus civitatem, & habebimus gratiam Dei, & honorem in terra nostra, & ista desolatio sit temporalis & non perpetua; respondent nobis Christiani, quæ adhuc occisio Christi & adventus Titi, & populi Romani & desolatio pejor, quàm ista, in qua modò sumus, quia sunt mille anni? Heu, mi Domine, non est excusatio seu evasio consonans.

Quicumque ex nostris Interpretibus (u) Oraculum Danielis cum hac Hebræorum Chronologia componere studuerunt, revocare septimanarum periodum coacti sunt ad quartum annum Sedecie, ut scilicet ab ea epocha ad usque Templi everfionem per Romanos, annorum 490. summam conficiant. Sed præstat totam illam supputationem vitiosam oppidè rejicere, atque in serie Regum post Cyrum nodi hujus prophetici solutionem requirere. Vix enim ambigitur, Angelum de re futura sermonem instituisse, nec de re quacumque, & indeterminata; Ait enim: ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Jerusalem. Inde repetendum est ejus periodi exordium, quod olim etiam veteribus Judæis visum, iis maxime qui arma in Romanos sumpserunt. Sperabant enim mox proditum Messiam, cujus ope prostratè illorum res erigerentur; ut inter ceteros testatum reliquit Rabbinorum hujus postremi sæculi doctissimus (x).

Recepta communi suffragio nostrâ ætate apud Theologos, & Interpretes sententia (y) tenet, annum vigesimum. Artaxerxis Longimani cum primo Septimanarum componendum. Postremâ hebdomadâ Jesus Christus cruentum sacrificium Patri oblatum, veteribus sacrificiis, atque figuris finem imposuit; atque in illo demum terminus impositus 70. Septimanis, sive 490. annorum periodo. Neque eadem omnibus supputandi ratio placet; quin & in ea re tantum libertati datum, ut vix duo inter se omnino conveniant; quanquam ferè omnes in illud collimant, quod à nobis jam propositum est. Nec sanè aliter melius dubia omnia submoventur, atque historia sacra cum prophana juncto foedere conciliantur. Super sedem tamen à molestis supputationibus afferendis, de quibus Chronologistæ.

Illud tamen monendum operæ pretium duximus, totum opinionum dissidium in novem, vel decem annorum discrepantia versari. Tot enim superasse videntur summa 490. annorum inter 20. Artaxerxis ad usque Baptisimum, sive prædicationem Jesu Christi. Huic autem difficultati respondet D. Le Pelletier, allatis argumentis demonstrans vigesimum Artaxerxis in 2. Esdræ 2. 1. & 2. 17. 18. decimum esse Ar-

taxerxis sine socio regnantis; par enim annorum spatium regnaverat cum Xerse Patre suo, in societatem accitus. Ita planè dubitationes omnes subducuntur. Obiit J. Christus medio spatio postrema hebdomadæ, nempe triennio & semis post prædicationem inceptam. Ejus obitu vetus foedus abrogatum, novum sanguine ipsius signatum est; abire iussa sacrificia, & cæremoniae legales, novumque foedus confirmatum Apostolorum operâ, quibus præconibus, & ministris usus est Deus, reducendis ad fidem Judæis, & Paganis, toto spatio trium annorum & semis post obitum Christi; quod reliquum erat fini postremæ hebdomadæ imponendo; evolutò eo spatio, Ecclesia Jesu Christi semel constituta novis in dies accessibus crevit.

Huic systemati ardua sunt plura: 1. obitum Christi, firmatumque postremâ hebdomadâ foedus, non statim excepit sive desolatio Jerusalem, sive Templi everfio, pervicacium Judæorum disperfio, ac tandem abominatio desolationis; quæ omnia proximè obitum Messie consequutura, & ante exitum hebdomadarum implenda. Daniel ipse prædixerat. Ait enim Propheta: post Messie obitum, Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem, & sanctuarium dissipabit Populus, cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium; & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

2. Nunquam eò pervenerunt ejus assertores, ut post septuagesimam septimanam cessasse profus sacrificia Templi Jerusalem demonstrarent; cum potius quatuor annorum decadibus post obitum Jesu Christi perseveraverint. 3. Quis ille Unctus Domini post septimam hebdomadam, juxta Danielis oraculum proditurus, alter planè à Christo Domini post sexagesimam secundam septimanam neci tradendo? 4. Nulla satis congrua ratio afferri potest, cur Propheta spatium assignaverit 49. annorum, nempe 7. septimanarum à secundo anno Artaxerxis pro restituendis mœnibus & munitionibus Jerusalem, iniquissimis planè temporibus. 5. Tandem Propheta distertè duos vaticinii sui terminos distinguit, alterum post 7. alterum post 62. evolutas septimas; ex quo pariter geminæ memorabiles epochæ distinguendæ videntur, cum in vulgari hypothese nihil tale occurrat; neque enim 7. primas septimanas factum aliquod insigne à cæteris distinguit.

His fortè ducti rationibus recentiores quidam Chronologi, post 7. septimanarum periodum constituunt persecutionem Antiochi Epiphani, quod olim etiam Porphyrio, Josepho, & Authori primi Machabæorum facile visum supra observavimus. Veterem hanc opinionem è situ & tenebris in lucem nostrâ ætate Marshamus Can. Ægypt. sæcul. 18. pag. 568. &c. revoca-

u Lyran. Burgenf. Vatab. Galat.

x Menasse Ben-Israel de termino vita. y Ira Jul. Afric. Chrysof. Theod. Bedæ, Carth. Rupert. Zonar. S. Anton. Galat. Perer. Uffer. ad ann. 3550. Lamy. Appar. Chronologic.

r Aug. Epist. 197. nov. Edit. Vide & Hierony. in Dan. 9. p. 1114. nov. edit. Ubi de Apollonio Laodiceno.

* Hieron. in Dan. 9. p. 1116. 1117.

† Seder-Olam Rabba cap. 29. 30. & Seder-Olam Sutha. Vide Ganz. Zemasch, David.